



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Epistola VIII. Martini Papae I. Ad Georgivm Archimandritam Monasterii Sancti Theodosii. Laudat eum ob apostolicae sedis ministrum defensum, & vt Philadelphorum episcopo obediat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

nentes, omnino confirmabimini, positi in sorte sanctorum, ad ea bona quæ sensum & cogitationem omnem excedunt, perfruenda. Quæ vero synodaliter a nobis hic gesta sunt ad commendationem defensionemque ecclesiæ catholicæ, id est paternarum & synodaliū eius definitionum ac decretorum, nuper misimus, canonicè designato a nobis vicario, Ioanni, dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ciuitatis: cui bene facitis consentientes, & omnes orthodoxos vobiscum excitantes, pro adimplerione eorum, qui pie ipsi commissi sunt, articulorum, in laudem ecclesiæ catholicæ. Pro eo enim multa vobis merces in regno cælorum est reposita.

EPISTOLA VIII.

MARTINI PAPÆ I.

AD GEORGIVM ARCHIMANDRITAM
MONASTERII SANCTI THEODOSII.

Laudat eum ob apostolicæ sedis ministrum defensum,
& vt Philadelphorum episcopo obediat.

Georgio archimandritæ Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ episcopus.

TE spiritu vegeto ac viuido esse, dilectissime, significat virtutis tenor. Effers enim huiusmodi spiritualis roboris apertos characteres, in quibus insigne est atque eximium caritatis non fictæ studium, quo ostendisti, te non verbo, neque lingua, sed opere & veritate diligere, iuxta mandatum Domini: qui per proprios monachos nobis eum conseruasti, qui a nostra apostolica cathedra missus est, Deo amabilissimum Stephanum episcopum ciuitatis Dorensium, pro quo mercedem a Domino habentes, satagite ad certamina pro pietate studiosius vos extendere, & virtutum reginam, sanctissimam nostram fidem omni bono zelo defendere: vt eos qui ipsi præter rationem aduersantur, misericorditer conuertas, vel non conuertentes se redarguas: vt integrum catholicæ ecclesiæ verbum conseruantes, Christum, rectorem eius ac sponsum habeatis, in thalamo cælestis regni vos gratia reficientem: cum ei, qui vos adluctam & pugnam delegit, complaciti fueritis in spiritualis certaminis ra-

tione. Quæ hic a nobis synodaliter acta sunt ad commendationem & defensionem ecclesiæ catholicæ, id est, paternarum ac synodaliū eius definitionum & sanctorum, proxime misimus a nobis canonicè delecto vicario, Ioanni dilecto fratri nostro & episcopo Philadelphensium ecclesiæ: cui recte facitis tum consentientes, tum omnes orthodoxos vobiscum excitantes ad impletionem eorum, qui pie ipsi commissi sunt, articulorum, in laudem ecclesiæ catholicæ. Vobis enim pro eo multa merces in regno cælorum retribuetur.

EPISTOLA IX.

MARTINI PAPÆ I.

AD PANTALEONEM.

Absolutum fuisse Dorensem episcopum falso ab eo delatum. peccasse illos, per quos actum est, quo minus sedis apostolicæ auctoritatem receperit episcopos & presbyteros ordinandi. & quid cum his, qui non canonicè in patriarchatu Hierosolymitano electi fuerant, agendum.

Pantaleoni Martinus seruus seruorum Dei, sanctæ eius Romanæ catholicæ ecclesiæ episcopus.

SEMPER quidem omnis hominum vita, propter condemnationem ortam e transgressione Adam primæui patris, non in aliis omnino esse cognoscitur, quam in gemitibus & lacrymis; sed nunc præcipue, propter peccatorum abundantiam, & inflictionem vehementiorum propter ipsa correptionum & pœnarum: quandoquidem errori & amentia delicti, castigationis & emendationis medicinam Dei humanitas adiunxit. Quod caritas tua manifeste cognoscens, non debuit ita se gerere aduersus eum, qui ab apostolica sede missus esset, Stephanum Deo amabilem episcopum Dorensium ciuitatis, aut eiusmodi de eo ad nos per propriam relationem transmittere, cum Saluatoris nostri mandatum id non facere iubeat, sed præcipiat inuicem sincere diligere. Ecce enim illa diligenter expendentem, vana prorsus inuenimus, nec vllis argumentis demonstrata. atque idcirco eum merito ex apostolica iustificauimus auctoritate: iis

Concil. Tom. 15.

D ij